

actus ille primus potest interdum reduci ad actum secundum, saltem successive cognoscendo nunc has creaturas in Deo, nunc alias; vel nunquam potest omnino variare actum secundum: si hoc posterius dicatur, gratis fingitur talis actus primus, et reddi non potest ratio cur intellectus habens sufficientem actum primum, non possit per voluntatem applicari ad actum secundum, nisi fortasse ab extrinseco a Deo impediatur; quod si perpetuo impediendus erat, superflue illi datus esset talis primus actus. Si vero dicatur primum, sequitur in ipsa visione et beatitudine animæ Christi, esse posse varietatem, ita ut nunc sit beator, postea minus beata, vel e contrario.

29. Neque enim dici potest hanc varietatem esse in solo objecto secundario, non in primario, quia, cum creaturæ non videantur illa visione, nisi in Deo ipso, non potest variari circa creaturas quin varietur circa Deum. Neque etiam refert, si dicatur variari quidem circa Deum, semper tamen cum æquali perfectione, quamvis in ordine ad diversas creaturas, tum quia hoc ipsum esset magna imperfectio in tali visione; tum etiam quia, quæ ratione posset hoc modo variari, posset etiam intendi et remitti; cur enim quoad unum subiceretur voluntati videntis, et non quoad aliud?

30. Quod vero quidam dicunt, posse visionem illam successive variari ex parte objecti, seu creaturarum cognitarum, nulla facta mutatione in ipsa, intelligi non potest, quia, ut variæ creaturæ cognoscantur, necessaria est varia representatio, varius effectus formalis, atque adeo varia perfectio cognitionis, ac denique quia sine mutatione alicujus extremi non potest intelligi varia habitudo et cognitio. Ultimo confirmatur, quia hic actus primus, quo anima Christi dicitur cognoscere omnia, vel est ipsa visio (ut dicebat Scotus), et hoc non, ut efficaciter videtur probatum, referendo ejus opinionem, quia visio ipsa essentialiter est actus secundus; unde quamdiu eadem omnino immutata manet, eodem modo constituit videntem in actu secundo, et respectu ejusdem; quod si aliquid per eam denuo videndum est, aliquid ei addi oportet, ut nuper probatum est. Vel hic actus primus est ipsum lumen gloriæ, et hoc potest dupliciter intelligi. Primo, quod lumen gloriæ sit ex se sufficiens ad videnda simul omnia quæ in Deo continentur, licet non habeat in anima Christi actum adæquatam. Et hic sensus est falsus,

tum quia sequitur illud lumen esse infinitum, ut ostendi; tum etiam quia sequitur lumen illud esse sufficiens ad comprehendendum Deum, saltem extensive; tum denique quia sequitur non habere actum adæquatam suæ virtuti respectu visionis Dei, quamvis illum habere possit; quod sine fundamento dicitur, cum ad perfectionem non pertineat, sed potius ad defectum perfectionis. Alio modo id intelligi potest, quia successive potest anima Christi eodem lumine has vel illas res in Verbo videre; et hoc non satis est, quia, licet demus, eodem lumine gloriæ quo anima Christi nunc videt aliquas creaturas in Deo, potuisse videre alias, et non istas, et sic in infinitum (id quod etiam incertum est, et sub opinione), tamen hoc neque arguit singularem perfectionem in illa scientia, sed commune fere est omnibus beatis, neque satis est ut dicatur omnia scire in actu primo, sicut, licet eodem lumine intellectuali possit quis quascumque res cognoscere, non tamen omnes scit in actu primo, quia non omnium habet species, neque est in potentia proxima, ut possit, cum velit, has vel illas res contemplari; at vero intellectus animæ Christi, informatus hoc lumine, non est ita proxime dispositus ad cognoscendum in actu secundo omnia possibilis, etiam successive, quia non habet proprie species rerum omnium in ordine ad hanc scientiam, neque essentiam divinam per modum speciei unitam, nisi in ordine ad talem modum videndi ipsam; unde nec potest suo arbitrio res alias per illam visionem contemplari; ergo.

31. Dico tertio: anima Christi videt in Verbo aliqua ex rebus possibilibus quæ nunquam erunt. Videtur certa et communis conclusio; et eam expresse affirmat D. Thomas hic, art. 2, et potest aliquo modo probari ex illo Matth. 11, et Luc. 10: *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, etc.*; ubi Christus revelat aliquid possibile, quod fuisset futurum in eo casu, quod tamen absolute futurum nunquam fuit; facit illud Matth. 26: *Possim rogare Patrem, etc.* Ex quibus locis colligitur, animam Christi hæc possibilis cognovisse, sed non convincitur vidisse illa in Verbo, potuisset enim illa scire scientia infusa; fit tamen probabilis conjectura, etiam scientia beata, quæ perfectissima est, illa cognovisse. Ex articulo etiam secundo D. Thom. sumitur hæc ratio, quia multa possunt fieri a creatura, quæ nunquam fient; sed anima Christi videbat in Verbo omnia quæ sunt in potentia creaturæ, quia com-

prehendebat ipsam; ergo. Denique verisimile est etiam alios beatos videre nonnullas res possibilis quæ nunquam fient, ut constat ex 1 p., q. 12.

32. *Responsio ad argumenta.* — Ad fundamentum Magistri, quod ex quibusdam testimoniis sumebatur, respondet D. Thom., Christum cognovisse omnia quæ habent rationem entis in aliqua differentia temporis, de quibus fit proprie illa distributio. Dicit etiam potest, in eo fuisse omnem scientiam, quæ secundum potentiam ordinatam a Deo communicatur alicui intellectui creato, sicut in simili supra de gratia dictum est; et hoc satis esse ut dicatur habere *omnes thesauros sapientiæ et scientiæ*, et nihil ignorare. Deinde, disputatione sequenti, videbimus an saltem per scientiam infusam omnia possibilis sciat.

33. Ad Henricum et Durandum, negatur cum visione Dei esse necessario conjunctam cognitionem omnium rerum et quidditatum quæ in ipso eminenter continentur; cum enim illa visio non sit comprehensiva Dei, et possit esse magis vel minus perfecta, possunt per illam plura vel pauciora videri in Verbo. Neque Durandus satis consequenter loquitur, quia, posita determinatione divinæ voluntatis vel scientiæ ad talia objecta futura, fere eadem esset ratio cognoscendi tales res futuras in Verbo, quæ est cognoscendi res possibilis; nec potest etiam vitare comprehensionem, tum quia ad comprehendendam potentiam non oportet cognoscere quid factura sit, sed satis est comprehendere quidquid potest facere; tum etiam quia anima Christi videt in Verbo quidquid futurum est in qualibet differentia temporis, ut jam dicam. Et eadem rationes urgent contra Henricum, quia nulla est ratio cur magis necessario videantur omnes species rerum in Deo viso, quam omnia individua, cum tam individua quam species contineantur eminenter in Deo, et repræsententur in divinis ideis.

34. Verum tamen est rationem sumptam ex comprehensione non ita convincere contra Henricum, quod sit impossibile videre in Deo omnes rerum species possibilis, esto non sit necessarium; nam si viderentur species, non visis omnibus individuis, non videretur certe comprehendi Deus, quia omnipotentia Dei per se primo respicit non tantum species, sed etiam individua, et infinita ejus perfectio eminenter omnia continet. Sed quamvis illa ratio directe non ita convincat, tamen ratio facta de lumine infinito optime contra hanc sen-

tentiam procedit, et inde consequenter effici videtur, tale lumen non solum ad cognoscendas omnes species, sed etiam ad omnia individua sufficere.

35. Ultimo, ex dictis in hac et in sectione præcedenti, aperte colligitur quam sit verum quod D. Thom. dixit, art. 4, ad 3, hanc scientiam beatam Christi, licet perfectissima sit omnium quæ de potentia ordinaria esse possunt, tamen de absoluta potentia posse esse perfectiorem, imo semper in infinitum posse dari aliam perfectiorem, quia nunquam potest adæquari suo objecto primario, neque illud comprehendere, neque omnia cognoscere quæ in illo continentur; ergo semper potest perfectius tendere in objectum suum, et plura in illo videre, atque adeo visionem ipsam increatam Dei perfectius participare, quod non solum in diversis subjectis, sed etiam in eodem verum est, ut satis contra Cajetanum in superioribus diximus. Et eadem ratione posset illa eadem visio in intensione crescere, ut ex dictis patet.

## SECTIO IV.

*Utrum anima Christi videat in Verbo omnia quæ Deus videt scientia visionis, atque adeo infini-*

1. Multi ex Theologis negant animam Christi videre in Verbo hæc omnia. Ita Gabr. et Richard., Scot. et Bonav., locis supra citatis, in 3, d. 14, quamvis non eodem modo; nam Scotus eodem modo loquitur de scientia futurorum et possibilium, distinguens de cognitione in actu primo vel secundo; quæ distinctio jam a nobis rejecta est, quia in hac scientia eadem est ratio de utroque. Bonav., art. 2, q. 3, et Gabr., q. 1, art. 1, negant cognosci omnia simul, affirmant tamen successive; quod etiam a nobis rejectum est, tum quia in illa visione nulla est successio; tum etiam quia infinita pertransiri non possunt; unde, si simul non videntur, nec videri poterunt omnia successive. Richard., art. 2, q. 3, dicit, cognoscere Christi animam omnia quæ futura sunt in numero vel tempore finito, ut individua substantiarum, et similia, non vero cogitationes omnes in æternum futuras. Fundamentum eorum est, quia non potest intellectus creatus actu attendere ad contemplanda distincte et clare infinita, quia ad hoc requiritur infinita virtus et attentio, et consequenter infinitus actus; sed quæ Deus videt scientia visionis, sunt actu infinita, et visio Christi necessario est finita; ergo.



2. Dico tamen primo, animam Christi videre in Verbo simul, et in actu secundo, omnia quæ Deus videt scientia visionis. Ita D. Thom. hic, et communiter Theologi, in 3, d. 14; Magist., Albertus Magnus, Palud., Capreol., et alii; Alens., et Marsil., et Henric., locis præcedenti sectione citatis. Ex Scriptura et Patribus nihil habemus ad hoc probandum; solum ex eis colligi potest, animam Christi cognoscere hæc omnia, præsertim ex Damasc., lib. 3, c. 22; Chrysost., Fulgent. et Hieron., citatis in principio sectionis præcedentis. Nam simpliciter dicunt, animam Christi cognoscere omnia; ergo saltem id erit verum de his quæ aliquando futura sunt. Unde verisimile fit ea cognoscere per scientiam beatam, quia indicant semper actu illa omnia in fieri, quod non fit nisi per beatam scientiam. Fundamentum vero D. Thom. est, quia omnis beatus videt in Verbo omnia quæ ad statum suum pertinent, quod supponit ex 1 p., q. 42, art. 8; sed ad statum et dignitatem animæ Christi pertinent omnia quæ Deus videt scientia visionis. Primo, propter dignitatem personæ suæ. Secundo, quia est caput omnium hominum et Angelorum, præsertim justorum et prædestinatorum, propter quos omnia creata sunt. Tertio, quia iudex omnium est constitutus. Addo quarto, quia illi subjecta sunt omnia, et propter ejus gloriam et honorem suo modo omnia creata sunt.

3. *Dubium.* — *Responsio.* — *Visio plurimum in Deo non necessario semper perfectior est.* — Sed circa fundamentum hujus rationis dubitat Cajet. hic, artic. 2, quia ex illo sequitur aliquem minus beatum plura videre in Verbo quam beatiorum, quia possunt pertinere plura ad statum ejus; consequens est falsum, quia qui plura videt in Deo, perfectius videt Deum; ergo est beatior. Et in summa respondet, beatum videre in Verbo formaliter ea quæ pertinent ad statum, eo tempore quo ingreditur beatitudinem, cætera vero quæ postea fiunt, tantum causaliter. Sed hæc responsio primum non expedit difficultatem, quia etiam accidere potest ut plura pertineant ad statum beati inferioris, etiam pro illo tempore quo ingreditur beatitudinem, ut si constituamus B. Dominicum esse minus perfecte beatum quam B. Paulum, primum eremitam, quod non repugnat, ut per se notum est; et tamen constat plura ad statum S. Dominici, quam S. Pauli, potuisse pertinere, etiam si solum comparentur pro eo momento quo mortui sunt. Deinde non est necessaria illa respon-

sio, quia non semper necesse est ut qui plura videt in Deo, perfectius videat Deum, nisi cætera omnia paria sint; fieri autem potest ut aliquis videat plura intra inferius genus vel speciem, et alius excedat aliunde, vel clarius quidem et perfectius res alias, vel aliquid superius, et perfectioris rationis intuendo. Quid vero dicendum sit de aliis beatis, an, scilicet, videant hæc omnia causaliter, vel formaliter in Verbo, non est hujus loci examinare.

4. Breviter tamen, ut intelligatur vis rationis factæ, ego in hoc ita sentio, perfectionem beatitudinis primo omnium esse commensurandam uniuscujusque meritis; deinde unumquemque beatum videre formaliter in Verbo omnia illa quæ pertinent ad suum statum, quantum sub quantitatem perfectionis divinæ visionis suis meritis debitæ cadere possunt; nam si fortasse ad videnda illa omnia, necessaria esset perfectior visio quam suis meritis deberetur, non posset omnia illa formaliter in Verbo videre, sed videret præcipua, seu quæ sufficerent, juxta ordinem divinæ justitiæ et providentiæ, reliqua autem videret causaliter; Christus autem Dominus non habuit beatitudinem per sua merita, sed altiori titulo sufficientissimo ad totam hanc perfectionem visionis; et si habuisset per merita, illis esset debita tota hæc perfectio, et multo major, si ad illam referrentur; et ideo recte concluditur omnia hæc vidisse formaliter in Verbo. Unde accipi potest confirmatio similis illi quam supra tetigimus, cum de gratia Christi ageremus, quia, si infinita visio Dei esset possibilis, tota illa Christi animæ ratione unionis deberetur; quia vero illa anima non est capax tantæ visionis, perfectissima quædam, juxta ordinem divinæ sapientiæ, data est, ac ejus statui maxime accommodata, cujusmodi est illa de qua agimus; nam, quod anima Christi sit capax illius, dubitandum non est, cum tota illa finitæ perfectionis sit, ut magis patebit ex dicendis sequenti assertionem. Quod autem illa optime quadret cum Christi dignitate et muneribus, jam explicatum est. Confirmatur, quia alias esset in anima Christi actualis ignoratio, vel saltem inconsideratio multarum rerum quæ actu fierent, et consequenter posset non cognoscere nunc quid ego cogitem, et similia; quod sane est absurdum, et a Christi dignitate alienum. Confirmatur ultimo, quia verisimile est omnes beatos simul sumptos videre in Verbo omnia quæ Deus videt scientia visionis, præter ea quæ specialiter pertinent ad ipsam

animam Christi, quia omnia sunt propter electos, unde omnia pertinent aliquo modo ad statum eorum; sed verissimum est animam Christi, et videre omnia quæ sibi sunt propria, et præterea videre omnia simul quæ omnes alii vident, tum quia gratia animæ Christi (ut supra dictum est) superat gratias omnium beatorum, etiam simul sumptas, sicut dignitas animæ Christi exuperat omnium dignitates, etiam si in unum conferantur; tum etiam quia merita Christi infinite superant omnia aliorum merita, etiam simul sumpta; quanquam enim visio non sit animæ Christi data ex meritis, data est tamen tam perfecta, quam per merita secundum legem ordinariam comparari posset.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed objici potest, nam sequitur animam Christi comprehendere scientiam visionis Dei, cum nihil eam lateat eorum quæ sub tali scientia continentur. Aliqui concedunt sequelam, nec putant esse inconueniens, quia non propterea comprehenditur Deus. Ita sumitur ex Capreol., 3, d. 14, q. 2, art. 3, ad 2; et Cajet., 1 p., q. 42, artic. 8, in fine. Alii renuunt hoc concedere, quia scientia visionis est ipsemet Deus, unde comprehendere non potest, ipso non comprehenso. Sed distinctione uti possumus, nam scientia visionis sumi potest vel pro objecto ipsius scientiæ, vel pro formali scientia, quæ est in Deo. Rursus oportet considerare, in objecto scientiæ visionis non solum contineri res creatas, sed etiam ipsum Deum, et liberam voluntatem ejus. Anima ergo Christi dici potest comprehendere illam scientiam solum quantum ad objecta creata quæ per illam videntur, et hoc, ad summum, probat argumentum factum; non vero comprehendit illam scientiam quantum ad objectum increatum, cum non comprehendat Deum ipsum, nec generationem æternam, et similia. Unde fit etiam ut non comprehendat illam scientiam, prout est formalis actus ipsius Dei, quia, ut sic, est perfectio simpliciter infinita, et eadem omnino cum scientia simplicis intelligentiæ, et comprehendere non potest, illa non comprehensa.

6. Dices: cognitio, qua videntur omnia ad quæ se extendit potentia, est comprehensio ejus, ut D. Thom. hic sumit, art. 2, et 1 p., q. 42, art. 8; et Cajetan., eisdem locis; et Capreol. supra, et 4, d. 49, q. ult., et alii auctores citati sect. præced. Et in toto ejus discursu nos id videmur supposuisse; ergo pariter, visis omnibus ad quæ se extendit ali-

qua scientia, comprehendetur talis scientia; ergo, cum visio animæ Christi se extendat ad omnia quæ cadunt sub scientiam visionis Dei, comprehendet illam. Respondetur primo posse assignari differentiam, quod effectus videntur in potentia ut in causa, et ut in medio cognito, et objecto primario; objecta autem scita non videntur in scientia visionis ut sic, tanquam in medio proprio, secundum eam rationem. Secundo, et magis ad rem respondetur, etiam divinam potentiam proprie non comprehendere, ut est principium talium effectuum, quia, ut in se videtur, non potest præscindi respectu talium effectuum, quia est essentialiter eadem in ordine ad omnes, et ideo si absolute non comprehenditur, neque in ordine ad aliquem effectum comprehendere potest. Atque idem a fortiori est de scientia visionis creaturarum, quæ in se præcisa non est a scientia visionis quam Deus habet de seipso, neque a scientia simplicis intelligentiæ. Denique est optima ratio, quæ sumitur ex D. Thom. hic, art. 2, ad 3, quia, licet Christi anima comprehendat objectum illud creatum, quoad numerum scibilium, non tamen comprehendit ea claritate qua Deus, et consequenter neque comprehendit ipsam claritatem et eminentiam qua Deus illa intuetur; et ideo nec scientiam visionis Dei, prout in ipso Deo est, comprehendit.

7. *Christus videt infinita in Verbo.* — Dico secundo: anima Christi videt in Verbo infinita. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, et explicanda est et probanda modo dicto circa articulum tertium D. Thomæ, neque aliquid addendum occurrit. Solum superest solvendum fundamentum Scoti et aliorum. Ad quod breviter dicitur, hæc infinita contineri intra terminum finitum, quia solum sunt, vel plura individua sub eadem specie finita contenta, vel plures cogitationes, etc., vel certe plures species sub aliquo inferiori genere, ut verbi gratia, plures species corporum mistorum, quæ omnes non transcendunt perfectionem cæli. Deinde omnia hæc videntur per unum simplex principium; et ideo omnia illa videri possunt simul, et per actum, et lumen finitum. Nam, visis omnibus illis in Verbo, adhuc videtur Verbum finite et limitate, cum non comprehendatur totum objectum omnipotentiae ejus; ergo actus et lumen sunt finita, quia eorum perfectio ex primario objecto, et ex modo quo ipsum cognoscitur, pensanda est, potius quam ex objecto secundo.



8. *Objectio.*— Sed superest difficultas, quia, sumendo numerum finitum rerum contentarum in eodem ordine et specie, ad videndum illum in Verbo, requiritur aliquod lumen, et ad videndum majorem numerum earundem rerum, cæteris paribus, requiritur majus lumen, et sic in infinitum; ergo ad videndum infinita erit necessarium lumen infinitum. Responderi solet cum Cajetan. hic, art. 3, hinc solum inferri, visionem animæ Christi esse infinitam secundum quid, eo modo quo una res ordinis superioris dici potest infinita secundum quid, quatenus sub se continere potest res infinitas inferioris ordinis. Quæ responsio non videtur satisfacere, quia argumentum semper procedit in rebus ejusdem ordinis, scilicet, in lumine gloriæ, et visione beatæ; procedit etiam de augmento extensivo intra eundem ordinem, in quo intelligi non potest medium inter qualitatem finite extensam, vel actu infinitam in extensione, cum sit sermo de eadem qualitate, et de perfectione extensiva quam actu habet a parte rei; hæc autem extensio non videtur esse posse actu finita in visione vel lumine gloriæ animæ Christi, ut videtur probare argumentum factum; ergo colligitur infinita extensio illius luminis, seu visionis. Quod etiam hoc modo explicatur, quia illa visio ex parte objecti habet infinitam extensionem; sed tantum augetur extensio ipsius qualitatis luminis, vel visionis, quantum augetur extensio objecti, nam tota illa scientia respicit hoc objectum, et per unum gradum intelligitur respicere unam partem objecti, et per aliam aliam; nam illi duo gradus distincti sunt inter se; posset enim unus separari ab alio, et e contrario. Et idem est de omnibus aliis partialibus objectis, quæ infinita sunt; ergo respondent illis in ipsa scientia infiniti gradus extensionis.

9. *Responsio.*— *Visio infinitorum effectuum in Verbo quomodo non requirit lumen infinitum.*— Respondetur, propter hoc argumentum aliquos admittere hoc infinitum augmentum in visione animæ Christi, quod esse censeant per veram et realem additionem partium æqualium, componentium unam entitatem; ego vero suppono, omne hujusmodi augmentum infinitum repugnare omni rei creatæ, ut supra attigi, q. 7. Alii ergo aliter respondent, videlicet, illud augmentum extensivum non esse per se necessarium, sed aliquando idem lumen gloriæ, et visionem beatam, sufficere ad videndum infinita in Verbo sub aliquo genere, vel specie, ex vi alicujus gradus veluti

indivisibilis, ita ut ex vi ejusdem perfectionis, qua cognoscit totam aliquam multitudinem infinitam, cognoscat omnia et singula sub illa multitudine contenta; neque intelligatur, in ipsa visione aliquid respondere uni rei visæ, et aliud alteri, sed eundem gradum perfectionis quasi indivisibiliter respondere omnibus, et toti multitudini; alia enim via non potest vitari infinitum augmentum, ut argumentum bene probat. Quomodo autem hoc verum sit, ita declarari potest ex doctrina D. Thom. hic, quia hæc infinita non videntur in Verbo, nisi prout connexionem habent cum aliqua causa creata, qua comprehensa, comprehenduntur; quia ergo causa illa finita est, ad comprehendendum illam finitum lumen sufficit, et illud idem satis est ad cognoscenda omnia quæ in illa continentur, licet sint infinita, quia tota illa infinitas comprehenditur sub finito gradu perfectionis. Unde, quando ita videntur plura inter se connexa, et radicata in uno principio finito, unum et idem lumen indivisibiliter sumptum, quod sufficit ad videndum quædam ex his, sufficit ad videndum plura, et omnia quæ in illo principio comprehenso continentur, quod non est creditu difficile, cum omnia illa a virtute finita procedant, et præsertim, si tantum numero differant, cum hæc sint tam inter se similia, ut idem fere sit cognoscere unum vel plura, quæ successive a tali causa fieri possunt. Unde ad argumentum in forma distinguitur illa propositio: Ad videndum res distinctas in Verbo, requiritur major seu distincta perfectio luminis aut visionis; si enim illæ res sint inter se omnino distinctæ, et ut sic cognoscantur, non inter se connexæ, vel cum aliqua causa finita, sic concedo assumptum; et consequenter admitto non posse videri in Verbo hujusmodi res infinitas, nisi per visionem habentem infinitos gradus extensionis. Si vero tales res cognoscantur ut connexæ in uno principio finito, sic negatur assumptum propter rationem jam explicatam; et hoc modo videt anima Christi infinita in Verbo, et fortasse etiam quilibet beatus, quamvis non æque, neque sub omni genere, vel specie, in qua Christus videt infinita.

10. Hæc responsio aliquando mihi probabatur, eo quod existimarem visionem extendi ad plura objecta secundaria, per additionem partialis entitatis; nunc vero opinor fundamentum hoc esse falsum, ut sectione præcedenti declaravi et ostendi; et ex hac ipsa solutione confirmari potest, nam si ad videndum

aliqua infinita sufficit aliqua entitas indivisibilis visionis et luminis, etiam sufficere ad omnia illa quæ in Verbo videri possunt, quia omnia videntur, media connexionem quam habent cum divina essentia et potentia, quæ finite et per finitam visionem videri potest, etiam si aliqua infinita videantur in ipsa, quia non sunt infinita in tota latitudine entis, sed infra aliquam speciem aut genus. Posito autem hoc fundamento, et contrario e medio sublato, cessat difficultas posita, et progressus qui in ea fit. Nam dum visio extenditur ad plura objecta secundaria, non augetur eadem visio per aliquam additionem, sed est alia visio numero distincta, quæ ex vi suæ individuae et indivisibilis entitatis habet omnia illa repræsentare, nec potest repræsentare plura, neque pauciora, nisi tota visio mutetur. Atque ita solum concluditur habere animam Christi quamdam visionem perfectiorem, in sua individua entitate, quacumque alia, quæ ad illa omnia repræsentanda non est sufficiens. Et secundum quid habere quamdam infinitatem objectivam, non tamen extensivam et formalem in entitate sua, quia eadem indivisibili entitate respicit et repræsentat omnia illa.

11. *Dubium.*— Quæret aliquis ad hujus materiæ complementum, an hæc infinita, quæ videt anima Christi (et idem est de scientia Dei), dicenda sint *categorematicæ*, vel *syncategorematicæ* infinita, seu actu aut potentia. Videtur enim primum, quia illa omnia simul videntur; ergo, ut sic, actu sunt simul; ergo actu infinita; hoc enim differt infinitum actu ab infinito in potentia, quod illud est totum actu simul, hoc partim actu, partim potentia, ut constat ex 3 Physic., cap. 6. Et confirmatur, nam si illa omnia, quæ simul cognoscuntur, simul essent in re, esset multitudo *categorematicæ* infinita; sed eadem sunt nunc in cognitione; ergo.

12. In contrarium vero est, quia, licet omnia simul sint cognita, tamen non aliter sunt infinita quam in re esse possint, quia cognitio accommodatur rebus ipsis; sed in re non possunt esse, nisi *syncategorematicæ* infinita, quia non potest tota illa multitudo in re existere simul. Unde nihil referre videtur quod in cognitione sint simul, si in re tantum fieri possunt successive, quia modus cognoscendi non variat modum quantitatis ipsius rei; nec res habet magnitudinem aut multitudinem suam, atque adeo quod sit finita aut infinita hoc vel illo modo, ex ordine ad cognitionem, quæ illi

extrinseca est, sed in ordine ad existentiam, quam juxta naturam suam habere potest. Nec videtur recte dici posse, illa esse infinita *categorematicæ* in esse cognito, et a parte rei esse infinita *syncategorematicæ*, quia non habet res aliam quantitatem in esse cognito, quam a parte rei, alias non esset vera cognitio. Et confirmatur, quia Deus ipse non videt aliud infinitum, quam sit possibile vel futurum; sed non est possibile aut futurum infinitum *categorematicæ*, sed *syncategorematicæ*; ergo. D. Thom. in hoc nihil aperte dicit, tamen ejus discipuli videntur frequentius loqui priori modo. Gabriel autem, Almain. et alii, in 3. distinct. 4, magis eligunt posteriorem modum, quos sequitur Viquer., in Institut., cap. 20, § 2, vers. 1.

13. Sed in re non videtur esse posse magna diversitas, nam omnes conveniunt in his. Primo, illa quæ videntur, non esse in certo aliquo numero finito, nec posse perveniri ad finem eorum, numerando unum post aliud. Secundo, illa omnia simul cognosci, et ita esse simul aliquo modo, scilicet, objective. Tertio, totam illam collectionem non posse actu poni in re. Quibus positis, fere de modo loquendi videtur controversia.

14. *Responsio.*— *Anima Christi non videt infinita categorematicæ.*— Mihi tamen placet posterior modus loquendi, quia illa multitudo, quamvis simul cognita, talem multitudinem habet ad suam existentiam, ut ex intrinseca natura sua petat non posse exhausti cum fit; unde in sua intrinseca ratione includit hanc veluti potentialitatem, ut semper, scilicet, aliquid illius restet efficiendum. Et in hac potentialitate consistit ratio infiniti *syncategorematicæ*; sicut quamvis tempus totum simul cognoscatur, ipsum tamen, etiam cognitum, ens successivum est, quia talem habitudinem habet ad existentiam, ut non possit totum simul existere, sed pars post partem; similis enim ratio est de hoc infinito in potentia, includit enim in conceptu suo successionem quamdam in existentia, seu productione sua; et hoc modo salvantur facile multa quæ tractari solent de infinito, ut est in cognitione divina. De quibus agitur 1 p., quæst. 7, 14 et 25.

15. Supererat hoc loco tractandum, an Christi anima videat in Verbo futura contingentia conditionata, id est, quæ, posita aliqua conditione, futura essent, licet de facto absolute futura non sint, quia conditio non est ponenda. Sed hæc quæstio non habet spe-



cialem difficultatem, hujus loci propriam. Nam, supponendo, quod verissimum est, Deum habere hanc scientiam certam horum futurorum, dubium non est quin potuerit illam Christi animæ communicare in visione beata, quia non est major difficultas in hac scientia quam in qualibet alia scientia creaturarum in Verbo. Quin potius, in Matth. 2, satis constat Christi animam hanc scientiam habere. Sicut autem anima Christi non videt de facto in Deo omnia possibilis, ita necesse non est ut hæc conditionata omnia et in omnibus rebus cognoscat, sed ea tantum quæ juxta divinæ sapientiæ rationem et mensuram videre expediens fuit, et ad Christi dignitatem et munera fuit conveniens.

### QUÆSTIO XI.

#### DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMÆ CHRISTI IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia indita vel infusa animæ Christi. Et circa hoc quærentur sex.

Primo, utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo, utrum hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata.

Tertio, utrum hæc scientia fuerit collativa.

Quarto, de comparatione hujus scientiæ ad scientiam angelicam.

Quinto, utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto, utrum fuerit distincta per diversos habitus.

#### ARTICULUS I.

Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat<sup>1</sup>.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non cognoverit omnia. Hæc enim scientia indita est Christo ad perfectionem possibilis intellectus ejus. Sed intellectus possibilis animæ humanæ non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola in quæ potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium actuum ipsius, quæ quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum

<sup>1</sup> Infr., q. 12, art. 2, corp., et ad 3; et 3, d. 14, q. 1, art. 3, q. 1, et q. 4, corp., et q. 5, ad 2; et Verit. q. 20, art. 6; et opusc. 2, c. 223.

hanc scientiam non cognovit Christus ea quæ naturalem rationem excedunt.

2. Præterea, phantasmata se habent ad intellectum humanum, sicut colores ad visum, ut dicitur tertio de Anima<sup>1</sup>. Sed non pertinet ad perfectionem visivæ potentiæ cognoscere ea quæ sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea quorum non possunt esse phantasmata, sicut sunt substantiæ separatae. Sic ergo, cum hujusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem animæ intellectivæ ipsius, videtur quod per hujusmodi scientiam non cognoverit substantias separatas.

3. Præterea, ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur ergo quod per hujusmodi scientiam anima Christi singularia non cognoverit.

Sed contra est quod dicitur Isai. 41, quod replevit eum Spiritus sapientiæ et intellectus, scientiæ et consilii. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia; nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium divinorum; ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium; ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum; ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur quod Christus, secundum scientiam inditam sibi per Spiritum Sanctum, habuerit omnium cognitionem.

Respondeo dicendum, quod, sicut prius dictum est<sup>2</sup>, conveniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta, per hoc quod omnis ejus potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva. Una quidem per comparationem ad agens naturale. Alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem, altiore actu in quem reducitur per agens naturale; et hæc consuevit vocari potentia obedientiæ in creatura. Utraque autem potentia animæ Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et ideo, secundum eam anima Christi primo quidem cognovit quæcumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quæcumque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sa-

<sup>1</sup> Text. 18, et 39, tom. 2.

<sup>2</sup> Q. 9, art. 1.

### DISPUTATIO XXVII,

in quinque sectiones distributa.

#### DE OBJECTO SCIENTIÆ INFUSÆ ANIMÆ CHRISTI.

De hac scientia tria consideranda occurrunt, quæ ad exactam cujuslibet scientiæ cognitionem necessaria sunt, scilicet, objectum, actus, et habitus; de quibus D. Thom. in discursu quæstionis disputat; prius vero de objecto tractat, quoniam ab illo ratio seu species actus et habitus sumi solet. Duplex vero distinguitur objectum scientiæ, materiale et formale: materiale dicitur res illa de qua scientia tractat; formale vero est ratio sub qua talis res a scientia consideratur, quæ sæpius sumitur ex parte medii, vel luminis sub quo talis scientia versatur. In hac ergo disputatione præsertim agimus de materiali objecto, seu de rebus quas anima Christi per hanc scientiam cognovit; de objecto enim formali nihil dicendum occurrit, præter ea quæ de speciebus intelligibilibus et lumine inferius dicemus.

#### SECTIO I.

Utrum res pertinentes ad ordinem naturæ cognoscantur per hanc scientiam infusam.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia hujusmodi res sunt objectum scientiæ naturalis, sive illa acquisita sit, sive infusa per accidens. Sed hæc scientia infusa, est altioris ordinis; ergo non versatur circa has res inferiores, sed circa res tantum ordinis superioris. Et confirmatur, quia ejusdem objecti sufficit una scientia in proprio genere; sed harum rerum naturalium habuit Christus scientiam propriam et connaturalem; ergo.

2. Propter hæc est prima sententia, negans hujusmodi res contineri sub objecto scientiæ per se infusæ; quam tenet aperte Scotus, d. 44, q. 3, et Durand., q. 3 et 4; nam, licet affirmant animam Christi cognovisse res naturales per scientiam infusam, docent tamen illam esse ejusdem rationis cum acquisita, solumque differre per ordinem ad causas efficientes; sicut visus comparatus per naturalem generationem, vel per miraculum restitutus. Unde infert Scotus, quem Gabriel et alii sequuntur, sub hanc scientiam non cadere singularia omnia, quia illa possunt in infinitum procedere; unde oportuisset habere infinitas species intelligibiles similes.

pienciæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius et plenius cæteris cognovit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam, de qua supra dictum est<sup>1</sup>.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de potentia naturali animæ intellectivæ, quæ, scilicet, est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

Ad secundum dicendum, quod humana anima in statu hujus vitæ, quia quodammodo est ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum hujus vitæ anima separata poterit aliquantulum substantias separatas per seipsam cognoscere, ut in prima parte dictum est<sup>2</sup>. Et hoc præcipue manifestum est circa animas beatorum. Christus autem ante passionem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor, unde anima ejus poterat cognoscere substantias separatas, per modum quo cognoscit anima separata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem speculativam. Pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in 6 Ethic.<sup>3</sup>. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio presentium, et providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica<sup>4</sup>. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilii, consequens est quod cognoverit omnia singularia præterita, præterita et futura.

Hic articulus explicandus est diffuse disputatione sequenti; et ideo circa litteræ expositionem nihil notare oportet; commodius enim mens D. Thomæ simul cum re ipsa explicabitur.

<sup>1</sup> Q. præced., art. 1.

<sup>2</sup> Q. 89, art. 1 et 2.

<sup>3</sup> C. 7, circa fin., tom. 5.

<sup>4</sup> Lib. 2, de inventionem, in fol. 4 ante fin. libri.